

G.N.  
387,  
35.

In  
1874

DISPUTATIO HISTORICO-POLITICA  
PRIOR

**RVDOLPHVM I.**  
**HABSPVRGICVM**  
**IMPERATOREM**  
**TANQVAM EXEMPLVM RE-**  
**STAVRATÆ REIPVBLICÆ,**  
**DESCRIBENS**

QVAM  
IN ACADEMIA HIERANA  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-  
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,  
DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO**  
**DE GVDENVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;  
AMPLISSIMÆ FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ CONSENS.

**PRO LOCO**  
IN EADEM OBTINENDO  
PVBLICÆ DISQVVSITIONI SVBJICET  
PRÆSES

**M. IVSTVS HENRICVS Salemburg/**  
RESPONDENTE  
**CHRISTIANO ADAMO Kranichfeldt/ Erf**  
L. L. Art. Cult.

DIE XXII. DECEMBR. M DCC XXII.  
IN AVDITORIO PHILOS. COLLEG. MAJOR. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

BIBLIOTHECA  
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

V I R O  
PRÆNOBILI. CONSULTISSIMO  
AMPLISSIMO  
D O M I N O  
PAVLO. CHRISTIANO  
BIRCKNERO

SERENISS. DVCVM. SAXONIÆ. VINARIENSIS  
ET. ISENACENSIS. SUPREMO. VECTIGALIVM. DIRE  
CTORI. SPECTATISSIMO

PATRONO. SVO. STUDIOSSISSE  
COLENDO. FIDEIQVE CHRISTO. IN. BAPTISMO  
DATE. SPONSORI. PIE. VENERANDO

QVALESCVNQVE. HAS. PRIMITIAS. ACADEMICAS  
OBSTRACTISSIMI. ANIMI. TESSERAS  
SVMISSE

OFFERT. DICAT. CONSECRAT  
DISPUTATIONIS. RESPONDENS

CHRISTIANVS. ADAMVS. Kranichfeldt.



Q. D. B. V.



Historiam recte philosophiam, quæ exemplis utitur, & vitæ magistram appellari, dudum ab eruditis observatum fuit atque ostensum. (a) Est enim illa speculum, in quo variorum consiliorum, actionum & eventuum in vita, veluti imagines, apertissime exhibentur nobis conspiciendæ. Quum itaque, teste etiam Salomone, (b) nihil novi fiat sub sole, & id quod fuit, idem sit, quod futurum est: (semper enim eadem agitur fabula, personæ tantum in hujus mundi scena mutantur) felicius quis prudentiam illam politicam, jurisprudentiam item cum primis publicam, imo omnes eruditionis partes (c) acquirere, sibi quæ & rebus suis prospicere non poterit, quam si in speculo isto, quæ ante nos ge-

A 2

sta

(a) Vid. MORHOF. Polyhist. Lib. I. Cap. 19. §. 11. DRESSER. in Orat. de Usu histor. annexa ejus Isagog. Hist. Part. I. p. m. 630. Quod etiam de historia philosophica asserit HEVMANN. Actor. Philos. Part. I. Cap. I. p. 38.

(b) Cohel. I. 9. (c) Hinc *reginam & magistram disciplinarum* historiam vocat CASELIVS in *Methodo*, lit. F. 3.

ita fuere, curatius inspiciat & cognoscat, ex alienis-  
que exemplis, quid sibi usui sit, addiscat. Hinc nul-  
lus unquam, sana mente præditus, rerum gestarum  
Annales aut contempnit, aut parvi habuit. Quin po-  
tius inveni semper viri fuerint celebres, qui nunc  
integra ejusmodi exemplorum congegesserunt volumi-  
na, unde vel homo Christianus, vel politicus, vel œco-  
nomicus, vel quivis alius, quid ad commodum suum  
faciat, haurire posset: nunc vero unius etiam princi-  
pis, vel viri, ex historiis noti, vitam excusserunt, ean-  
demque, ut exemplum doctrinæ cujusdam utilis pro-  
posuerunt. Quod illos attinet, habemus VALERIUM  
MAXIMUM, (d) LIPSIUM, (e) GEORGIUM RICHTERUM,  
(f) BUDDEUM, (g) BOCATIUM, (h) DÜRRIUM, (i) HON-  
DORFIUM, TITIUM, alios; quod hos spectat, industriam  
suam hoc in campo exercuerunt, TRIBBECHOVIUS, (k)  
SCHUBARTUS, (l) Jo. FRIDER. DÜRRIUS, (m) VOCKE-  
RODT, (n) CELLARIUS, (o) SIEGFRIEDT, (p) ut cæteros  
nunc

(d) Qui conscripsit dictorum factorumque memorabilium libros IX. (e) in  
monitis & exemplis politicis. (f) in Axiomatibus politicis, economi-  
cis & ecclesiasticis. (g) Qui dedit jurisprudentiæ historiciæ speci-  
men, in Select. J. N. & G. p. 775. seqq. (h) de casibus virorum illu-  
strum. (i) in Ethica paradigmatica. (k) in disp. quæ regnaricis  
prudentiæ Augusti exemplum in novo imperio querendo, constitu-  
endo, tuendo, sistit, Kiloni habita. (l) in Disp. Henricus IV. turbata re-  
publicæ exemplum, Jen. 1680. & in disp. C. Julius Cæsar sub exemplo  
mutatæ reipublicæ descriptus. ibid. 1681. (m) qui exemplum boni prin-  
cipis, quod pietas Georgii Friderici, Marchionis Brandenburgensis præ-  
bet, in disput. quadam delineavit, Jen. 1684. (n) in dissertat. de officiis  
& notis boni doctoris ecclesiæ sub exemplo Augustini, Goth. 1697. it.  
de Jo. Chrystophoro, invidiæ ludibrio, seu exemplo boni doctoris eccle-  
siastici, a malis propter optima merita pessimis modis exagitati. ibid.  
(o) qui ideam viri boni exemplo M. Porcii Catonis, in disputat. Leuco-  
petræ habita, sistit. (p) in disp. Aelius Sejanus, Pseudopoliticus, seu exem-  
plum execrandum male administratæ reipublicæ, iudem Leucopetræ habita.

nunc taceam. Horum igitur vestigia, licet impari gradu, secutus, in præsentî disputatione Academica exemplum aliquod reipublicæ restauratæ exhibere, mecum constitui. Præbet illud Rudolphus I. Habsburgicus, Imperator Victoriosus. (q) Qui cum ab ipso Electore Trevirensi laudetur, quod pertenuè tunc temporis, multisque bellis afflictum imperium restituerit; (r) non immerito illum, tanquam exemplum reipublicæ restauratæ spectare poterimus. Adsit modo Divinum conatibus Numen, ut illustre hæc argumentum, si non ex omnibus partibus, aliquali tamen modo, pro ea, qua par est, dignitate excutiamus.

(q) *Victoriosi nomen meruit, quia XIV. conflictibus semper victor decessit.* HARTNACC. *Histor. Univerf. p. 703.* (r) teste SLEIDANO in *Comment. Lib. 1. p. m. 25.* & AUTORE COMITIOI. RATISBON. *Part. 4. p. 225.*

§. I.

**R**udolphus noster appellatur Habsburgicus, a comitatu scilicet, cui nomen tribuit castrum Habsburgum. (s) Fuit itaque comes, sed amplissimas tamen possedit ditiones. Ut hinc fallantur illi, qui expauereculo comite eum ad imperiale fastigium ascendisse perhibent. (t) Fuisse namque comites Habsburgicos non simplices comites, sed principalis dignitatis aliquid eos habuisse (Gefürstentem Grafen) sunt, qui asserunt. (u) *In ejus argumentum allegatur, quod pincernas & dapiferos nobiles, (x) nec non a. num. 8. comitatus, Habsburg, Kyburg, Baden, Lenzburg, Thun, Reinsfelden, Rapperschwyl & Nidom, præter Landgraviatus Alsatiæ, Thurgoviæ, & minoris Burgundiæ, in potestate habuerint. (y) Imo principes erant, qua Landgraviæ Alsatiæ. Titulus, formula, sigillum Principes antiquæ gentis ostendunt, donationes, religionis opera, beneficia, & magna in rem Christianam n. e. i. a. institutis passim & locupletatis sacri Ordinis homi-*

num collegiis, atque in fidem ac tutelam suam receptis, aut prefectis, suo Imperii nomine attributis. (\*) Idem vero Rudolphus, cum terras Austriacas Ottocaro, Regi Bohemix, ademptas, domui ac liberis suis contulerit, magnitudinis Austriacæ primus auctor atque fons vocatur. (\*\*) Non hujus tamen loci est, primas illius familiae evolvere origines, quum auctores quamplurimi in iisdem inveniendis multum studii atque operæ consumserint, sed admodum inter se dissentiant, adeo, ut viginti diversas de hac re sententias collegerit SCHOENLEBENIVS. (z) Non desuerunt, quos adulandi cupiditas eo adegit, ut multa cum superfitione summorum principum origines scrutarentur, qui vel in arca Noæ primos domus Austriacæ parentes quærent. (a) Scilicet si Adamum & Evam communem stirpem constituissent, rem acutè tetigissent. HENRICVS autem GVNDELFINGEN (b) non sine risu audiendus est, qui ex veteri cujusdam MATHEI Chronico, Abrahamum Patriarcham primum Austriæ Marchionem fingit, ejusque successores partim gentiles, partim Judæos, partim Christianos adducit. Nec majorem meretur applausum illorum opinio, qui vetustatem stirpis Habsburgicæ a Perleoniis, & hos ab Aniciis Romanis, repetunt, cum hi nugæ agant, (c) & originem prorsus fabulis involvant, (d) etsi LAMBECIVS eam acerrime defendat, & erga illos, qui eandem recipere recusant, suam indignationem ostendat. (e) Magis recepta hodie illorum est sententia, qui Germanicæ familiae originem in Germania quærent, & cum primis eam a Guntramno, comite Altenburgensi, cognomento divite, qui vixit circa A. 938. derivant. (f)

(s) Ejus delineationem vid. apud ECCARD. in Originib. Habsburgo-Austr. Libr. II. præmissam, qui etiam ibid. Cap. II. §. 2. illius castri, a VVernebro, Episcopo Argentoratensi, conditi, descriptionem dedit. (t) inter quos est HIPPOLE. a LAPID. de Rat. Status, Part. III. cap. 2. p. 523. (u) Vid. SPENER. Op. Herald. Part. special. Lib. I. Cap. 9. §. 62. SCHVRTZFLEISCH. in Auctar. Histor. Augustæ sequioris, vid. Ejus Opera Historico-Politica. p. 1083. (x) conf. ECCARD. l. c. p. 245. ubi hujus rei exempla affert. (y) SPEN. l. c. (\*) SCHVRTZFLEISCH. l. c. p. 1084. (\*\*\*) a LIPS. Orat. de calamita, vid. SCHVRTZFLEISCH. l. c. p. 932.

(2) in dissertatione polemica de origine domus Austriacæ, fol. Labaci, 1681. (a) Id fecit HIERONTM. GEBVILLERVS, de quo vid. Gedanken über die Journale, Part. 9. p. 762. conf. etiam LANG. Einleitung zum Jure Publ. Lib. I. Sect. 1. §. 5. (b) in Dedicat. Histor. Anstr. quæ MS. asservatur in Bibliotheca Vindobonn. uti testatur LAMBECK. in Comment. de ead. Biblioth. Lib. II. Cap. 6. fol. 468. ubi illius fabulas recenset & explodit. conf. REIMMAN. Bibliothec. Acroamat. p. 143. (c) notati ab ECCARDO, l. c. Lib. II. Cap. 7. (d) teste PEVCERO, in Chron. Carion. Lib. V. p. m. 1044. (e) l. c. p. 477. usque ad p. 493. (F) quam eleganter deducit ECCARD, in Tr. jam sæpius allegato, qui prodiit Lipsi, 1721. in fol.

§. II.

Patre usus est Rudolphus Adelberto vel Alberto IV. comite Habsburgensi & Landgravio Alsatia, qui cum Friderico Barbarossa Imperat. expeditionem in terram sanctam suscipiens, ad urbem Accaronem periit, A. 1240. ibidemque sepultus est. (g) Mater ejus fuit Heilwigis, filia Ulrici, comitis Kiburgiensis. (h) Ex quibus parentibus natus est noster A. 1218. Cal. Maj. (i)

(g) CORTHYM. in Florileg. Hist. p. 195. (h) uti constat ex literis ipsius Rudolphi, apud ECCARD. l. c. Cap. 8. unde cum Kiburgienses interissent, Kiburgum & Lenzburgum ad Habsburgicos pervenit, ibid. (i) secundum PEVCER. l. c. p. 1035.

§. III.

Educatus autem est in aula Friderici II. Imperatoris, a quo ex baptismo susceptus etiam fuit. (k) postmodum Ottocaro, Regi Bohemia, in belli ac pacis negotiis, fidem operam suam atque servitia præstitit. Non enim solum præfectus ejus aula, quem Mareschalcum vocant, erat, sed in bello etiam contra Stephanum, Regem Hungaria, fortitudinis suæ documenta exhibuit egregia. (l) Hinc in Alsatiam, provinciam suam, se contulit, ibidemque habitavit, ubi A. 1264. civitas Argentoratensis copiis illum suis præfecit. Sed & interea temporis Brisgoiam, Argoiam, Thurgoiam, partemque Sabaudia non minimam bello occupavit, sibi que acquisivit. (m) Plura de ejus bellis, quæ tum temporis gessit, recenset STRUVIUS (n) Hac nempe ratione, a primis statim juventutis annis,

nis, princeps erat præparandus, qui aliquando rempublicam, ruinis suis fere collopsam, restaurare deberet. Si enim ullo unquam tempore, certe isto saculo, Respublica Germanica opus habebat Imperatore tali, qui & belli, & pacis negotia tractare egregie didicisset. Illam autem famam Rudolphus fuerat consecutus, quod & fortissimus esset miles, & sapientissimus princeps. Unde viam sibi paraverat, qua deinceps ipsam Imperatoris dignitatem obtinuit.

(k) ALBERT, ARGENTINENS. vid. LEHMAN. Chron. Spir. Lib. V. Cap. 104. (l) DVBRAY. Hist. Bohem. Lib. XVII. p. 454. LEHMANN. l. c. fol. 551. GVNDLING. Geschichte Kaiser Richards 7. p. 221. seq. (m) LEHMAN. l. c. (n) Einleitung zur Reichs-Histor. p. 54. seq. conf. JO. VITODVRAN, p. 1749. seq.

§. IV.

Idque evenit post mortem Richardi Imperatoris. Erat nempe hucusque perturbatissimus Germaniæ status, quo bella intestina, rapinæ, diffidationes, uti vocantur, aliaque delicta non tantum impune ubique exercebantur. *His temporibus arma ubique, leges fere nusquam dominabantur, quisque occupabat, quantum potuit per vim. Ex usu fuit principibus, nullum Imperatorem haberi.* (o) Morbis istis ut medicinam pararent principes imperii Septemviri, adhortatione Gregorii X. Pontificis permoti, (p) Francofordiam convenerunt, ut Imperatorem, qui rebus publicis hoc lacero & perturbato statu præficeretur, eligerent, quem non tantum sapientiam, sed vires, potentiam & auctoritatem afferre ad Imperium oportere, putabant, si sanare vulnera diffidorum atque odiorum, restitutione firmæ ac stabilis pacis, deberet. De modo, quo electus est Rudolphus, non omnino consentiunt Autores. Unde THOMASIVS controversiam, de singulis electionis Rudolphi I. circumstantiis, vocat *obscurissimam*. (q) Ottocaro, Regi Bohemiæ opulentissimo, per legationem honorificentissimam, cujus princeps fuerat Conradus, Coloniæ Archiepiscopus, imperium fuisse delatum, qui autem idem ex præfracta superbia contempserit, palam inter suos jaçtitans



Citans, pluris Bohemæ Regem, quam Rom. Imperatorem esse, tradunt Historici quamplurimi, imprimis Bohemi. (r) Ast idem tamen postea, cum audivisset, in eo esse, ut Rudolphus eligeretur Imperator, ambitioso pariter ac minaci conatu, empto Ottonis Brandenburgici suffragio, & nonnullis inter reliquos etiam ordines pecunia expugnatis, imperium affectavit. (s) *Misit quoque solennes nuncios, & multam pecuniam, & munera ad curiam domini Papæ Gregorii, ut ad Imperium aspiraret. Sed Papa munera non attendens, circumsedentibus sic dicebat, cum in Alemania plures principes & comites habeamus, quare vellemus Sclavum ad imperium sublimare?* (t) Neque Alphonso, Regis Castellæ nuntii, muneribus, quæ inter Septemviros dispergerent, onusti, aliquid effecerunt, priori benevolentia, qua Alphonsum complexi erant principes, in publicam invidiam mutata. (u) Variis deinde deliberationibus institutis, etsi alii adhuc essent, opum splendore & autoritatis respectu infingens, qui imperium ambirent, quosque principes respicerent; Wernerus tamen a Falckenstein, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, (x) assererat, *sapientiam & strenuitatem divitiis, & potentiis esse præferendas, pro Rudolpho comite itaque institit, Coloniensem quoque & Trevirenses ad ipsum inducens.* (y) Ne tamen electio in partes scinderetur, reliqui Archiprincipes suffragia sua soli Palatino deferebant, ita, ut, vi compromissi, uti vocant, illum, quem ipse eligeret, Imperatorem se agnituros esse, declararent. Ille itaque elegit Rudolphum, omnesque, excepto Rege Bohemæ, ipsi assensu sunt, (z) ut adeo communibus Electorum suffragiis (\*) A. 1273. in festo Michaelis, (a) Romanorum deligeretur Imperator.

(o) Ita MVTIVS rerum German. Lib. XXI. Tempora etiam Interregni, uti vocant, describit MAJOL. *Dier. Canicular.* Tom. VI. Colloq. I. fol. 219. sqq. An autem Interregnum fuerit, rectius negat GVNDLING. l. c. p. 23. seqq. (p) *Ferunt, quod Gregorius Pontifex, misso Legato, præcepit Electoribus, Ecclesiasticis quidem sub pena privationis officii, secularibus vero principibus, sub pena excommunicationis, ut omni cunctatione postposita, Advocatum ecclesiæ & Imperatorem Romanum designarent.* BESOLD. Sy-

nopl. Hist. Univerf. Cap. XVIII. §. 20. (q) in not. ad MONZAMBAN. Cap. II. §. 3. p. m. 148. (r) vid. DVBRAY. l. c. Lib. XVII. p. 455. feqq. ÆN. STLV. Hiftor. Bohem. cap. XXVII. p. 51. HAGEC. 888m. Chron. p. 448. MATH. Theatr. Hiftor. p. 640. in dubium tamen illud vocat STRUV. l. c. p. 527. fed rationes dubitandi non satis firmas adfert. (s) PEVCER. l. c. 1035. (t) SIFFRID. PRESBYTER. MISNENS. ad A. 1274. (u) Conf. BESOLD. l. c. p. 449. JO. BAPIST. EGNAT. de Rom. Princip. DVBRAY. l. c. p. 456. (x) GVDEN. Hift. Erf. Lib. I. p. 68. (y) ALBERT. ARGENTINENS. apud VRSTIS. p. 100. LEHMAN. l. c. fol. 551. (z) ANDR. RATISBON. apud ECCARD. in Corp. Hift. p. 2089. STRUV. Einleit. zur Reichs. Hift. p. 547. (\*) *Concorditer* a principibus univerfis fuit electus. JO. VITODVRAN. apud ECCARD. DVM. Corp. Hift. Tom. I. p. 1748. HERM. CORNER. apud und. Tom. II. p. 922. (a) SIFFRID. l. c.

§. V.

Causæ, cur ad Rudolphum imperium pervenerit, a variis variæ adducuntur. In illas quidem, quas habet MONZAMBANUS, (b) nunc non inquiramus, imprimis cum loquantur potius de eo, quod potuit esse, quam quod fuit, & ad arcana principum consilia spectent, quæ raro manifestantur. DUBRAVIUS (c) *in contemptum* Ottocari illud factum esse putat. Illud certum est, sapientiam Rudolphi, fortitudinem, felicitatem, ac moderationem multa contulisse, ut Imperatoris dignitas in ipsum devolveretur. Sed & officiosa illa comitas, qua Moguntinum, Romam euntem, ut confirmationem a Pontifice peteret, & inde redeuntem, deduxit, non parum ipsi apud hunc tribuit amoris atque existimationis, ut eo studiosius illum ceteris commendaret principibus. (d) Saculares autem principes eo facilius, ut vorum suum Rudolpho darent, permoti sunt, quia sex habebat jam viro maturas, pulchras & optime educatas filias, quas sibi in uxores stipularentur. (e) Prouti; etiam, statim post actum coronationis confectum, Ludovicus, Palatinus Rheni, cum Meehtilde, Albertus Saxo (f) cum Agnere, & Otto Marchio Brandenburgicus cum Hedwiga matrimonium contraxerunt.

(b) de statu Imperii German. cap. II. §. 3. (c) l. c. p. 458. (d) LEHMAN. l. c. fol. 551. (e) ALBERT. ARGENT. p. 100. LEHMAN. l. c. (f) Hinc, quia

quia hic Albertus, simul cum aliis elegit Rudolphum, colligit SPALAN-  
 LATIN. in der Chron. und Herkommen der Chur-Fürsten und Fürsten  
 zu Sachsen/ Tit. II, p. 47. penes illum & ejus descendentes fuisse Ele-  
 ctoratam, Ducatum, & Palatinatum Saxonicum, adeoque ad Lauenbur-  
 gicos non pertinere.

§. VI.

Hac ratione Rudolphus statim primariis familiis per  
 affinitates est innexus, quæ ipsi *ad majora nitenti decus &*  
*robur erant.* (g) Nimirum tale vinculum habebatur ido-  
 neum, quod animos Imperatoris & principum firmiter  
 constringere, eorum potentiam augere, & dissidia, hucus-  
 que admodum frequentia, disrumpere posset. Quo etiam  
 tendebat consilium Moguntini: *Durch solch Band der*  
*Freundschaft des Kaisers und Churfürsten würde das Reich*  
*zu Fried, Reputation und groß Aufnehmen gebracht werden.*  
 (h) Connubia enim, inter principes personas, sapissime  
 constat, ad reipublicæ inita fuisse utilitatem tranquillita-  
 temque restaurandam: & promovendam, *quod per ea dua-*  
*rum familiarum velut fines coeant. & matrimonii vinculo conjungan-*  
*tur.* (i) Ita Tarquinius Superbus Manilio principi Lati-  
 norum filiam suam nuptum dabat, perque eas nuptias  
 multos sibi cognatos, amicosque ejus conciliabat. (k)  
 Et Darius principio regni Cyri regis filiam in matrimo-  
 nium recepit, *regalibus nuptiis regnum firmaturus.* (l) Hinc  
 etiam Casar, ut confirmaret vires suas, præter alia, hoc  
 adjumento usus est, ut inter eum & Pompejum affinitas  
 contraheretur nuptiis, quippe filiam C. Casaris Cn. Ma-  
 gnus duxit uxorem. (m) Et cum illud concordia pignus,  
 Julia, uxor Magni, decederet, concordia quoque ipsa in-  
 ter Casarem & Pompejum decedebat. (n) Sed & Cæ-  
 sarem inter & Antonium, hortantibus orantibusque exer-  
 citibus, facta est affinitas, cum esset privigna Antonii de-  
 sponsa Casari, qua ratione *inita potentia inter eos societas.*  
 (o) Exempla ex recentiori historia, quæ ubivis sunt ob-  
 via, ut adducamus, opus non est. Potentissima certe fa-  
 milia Austriaca felicissimis sapius connubiis splendorem  
 suum auxit, ita ut etiam notus sit ille versiculus:

B 2

Bella

*Bella gerant alii, tu felix Austria nube!*

Sufficit nobis adduxisse, Rudolphum nostrum hac etiam in parte ea praestitisse, quae, principem, restituere conantem rempublicam, facere, conveniebant.

(g) GVILLEMAN. Annal. Austr. vid. NOVELLEN aus der gelehrten Welt/ 1693. p. 1734. (h) LEHMAN. l. c. (i) PETR. MOSELLAN. in Annotat. ad GELL. Lib. XII. cap. 8. (k) LIV. Lib. I. cap. 49. (l) uti loquitur JUSTINVS, Lib. I. cap. 10. (m) VELLEJ. Lib. II. cap. 44. n. 3. (n) IDEM, Lib. II. cap. 47. n. 2. (o) l. c. cap. 65. n. 2.

§. VII.

Cum itaque communi noster Electorum voto Imperator esset designatus, Fridericum Zollerensem nepotem, aut ut alii scribunt, filium ex sorore Rudolphi, (\*) miserunt ad eum, tunc in castris ad Basileam, quam obsidione cingebat, versantem, qui electionem nunciaret, (p) quem etiam, postea, A. 1281. in grati animi significationem, Burggravium constituit Norimbergensem. Cum enim Burggraviatus iste, perinde ut alii comitatus, (q) antea temporarius esset, & nunc huic, nunc illi concederetur, Rudolphus eum hereditarium fecit, & Friderico in feudum dedit. (r) *Petrus vero Episcopus Basileensis, cui armis Rudolphus multa extorserat, dixit, postquam illum in Imperatorem electum audivisset: Stehe fest, lieber Herr Gott, oder Rudolph wird dir auch deinen Stuhl einnehmen.* (s) Tantam scilicet de se opinionem noster & metum in animis hominum excitaverat.

(\*) Consobrinum Rudolphi eum vocat ALBERT. ARGENTIN. (p) Verba, quibus eum allocutus est Zollerensis, extant in CHRON. COLMAR, ut & apud LEHMAN. l. c. fol. 552. conf. JO. VITODVRAN. p. 1748. seq. (q) vid. CONRING. de Republ. German. Acroam. III. de German. imper. Ducib. & Comitibus. (r) vid. DRESSER. de Urbib. German. vocab. Norimberga. PEVGER. l. c. p. 1004. seq. JVNCKER. Aulcitung zur Geograph. der mittlern Zeit. Part. II. Cap. 14. p. 541. seq. literas investiturae habet GASTEL. de statu publico Europae, cap. XXIV. p. 786. Erant autem Burggraviū olim, qui in civitatibus jus dicebant. GRYPHIAND. de VVeichbild. Sax. Cap. 62. n. 5. plura de eorum officio, vid. in HORN. disp. de Burggrav. Magdeb. §. 3. (s) uti refert PACIFIC. a LAPID. in Not. & Strictur. ad MONZAMB. Discurs. 8. p. 445.

§. VIII.

§. VIII.

Accepto Rudolphus nuntio, quod Imperator electus esset, venit Francofordiam. Inde principes eum comitati sunt Aquisgranum, ut corona ipsi Regia imponeretur, quod factum est 1273. in die omnium Sanctorum, (t) ab Archiepiscopo Moguntino. (u) Perebat simul Rudolphus a principibus, ut iuramentum sibi fidelitatis, uti ab antiquissimis temporibus in usu fuisset, praeferant. Qui cum illud facere detrectarent, causati, sceptrum regium ad manus non esse; Rex noviter coronatus signum nostri Salvatoris, Cruci affixi, ex Altari arripiens, *Eccce signum, inquit, in quo nos & totus mundus est redemptus. Et hoc signo utamur loco sceptri.* Qua ratione principes ecclesiastici & saeculares permoti, ad signum Crucis terras suas in feudum acceperunt, & Regi iuramentum fidelitatis praestiterunt. (x) Opus nimirum erat, ut noster, si restituere statum reipublicae collapsam vellet, certus esset de fide suorum. Qua quam necessaria sit principi, ut in omnibus regiminis sui negotiis, ita cumprimis, si restaurare conatur rempublicam, quilibet facile intelligit. *Fides certe fundamentum est societatis humanae; perfidia vero ejusdem pestis.* (y) Et quis adeo rerum imperitus est, qui non deprehendat cognoscatque, fidem primum instrumentum esse, quo imperia confirmantur, ac perpetua conservantur, id quod basis est rationis status. (z) Illi autem Imperatores, qui postremis antea temporibus imperio praefuerant, sapienter principum fidem non satis firmam experti erant, quin potius ab illis deserti, cum, vivis adhuc legitimis suis Regibus, alios eligerent & coronarent, gravissimis subicerentur periculis, unde non poterat non respublica molestissima accipere detrimenta, & injustissimis haud raro affligi calamitatibus. Id autem ne in posterum quoque accideret, Rudolphus statim sub initium regni sui in fidem accipiebat principes, simul signo usus admodum notabili, quo eo firmiter fidei erga Regem suum memores semper essent.

Coloniensi

(t) HOSSMAN. von Kaiserl. Wahl und Erönung / p. 267. FLORIAN. in

Continuat. Chron. der Stadt Strassf. p. 127. (u) AVENTIN. Lib. VII. quem allegat THVLEMAR. de Octovir. cap. XXV. s. 35. (x) H. STERO ad A. 1273. LEHMAN. l.c. fol. 552. (y) DANÆVS in Aphor. Polit. p. 417. (z) SEPTAL. de Ration. Stat. Lib. II. cap. 12. p. 76.

§. IX.

Quamvis autem promiserat noster, se Romam ad coronam imperialem obtinendam, & jura Imperatoris in Italiam vindicanda, profecturum; nunquam tamen induci potuit, ut id præstaret, illud vulpis Aesopica prætexens: *vestigia me terrent.* (a) Putabat nempe, Antecessorum suorum in Italiam ingressus se conspiciere latos, sed cum egressus plerumque aut non, aut tamen tristes appareant, se metuere illorum vestigia. An vero iste merus pratextus loco fuerit, quod conventio tacita Rudolpho cum Pontifice & Moguntino, ne in Italiam veniret, obflaret, quæ conjectura est THOMASII, (b) evictum nondum est. Satis habebat in Germania negotii, si restaurare rempublicam vellet, ut Italiam ipse ingredi non posset. (\*) Corona autem imperiali Romana ut ornaretur, tanta quidem necessitas non fuit. *Sola enim electio ad substantiam Imperatoris pertinet, reliqua ad solennitatem, ut sunt confirmatio, inunctio, consecratio & coronatio. Neque enim ulla lege cavetur, Imperatorem esse confirmandum.* (c) quod etiam constitutione Ludovici Bavari, (d) *tanquam lege in perpetuum valitura*, expressis sancitum verbis est, ita, ut qui contra hanc sententiam aliquid asserere, dicere, aut asserentibus consentire velit, crimen læsæ Majestatis incurrisse, & gravissimis pœnis coercendum esse, statuatur. Idemque *omni tempore agnoverunt viri cordati.* (e) Unde etiam post Ferdinandos cura coronæ Imperialis obtinendæ, quæ antea Caesaribus injuncta in Capitulationibus fuit, omiſsa est. (f)

(a) Quæ verba communiter Historici de eo referunt. Dubium tamen est, eadem latina a Rudolpho esse prolata, cum alias constet, eum lingua latinæ non adeo fuisse peritum. Rem, quæ sub istis verbis latet, eum habuisse cognitam, non dubitamus. (b) in not. ad MONZAMB. cap. II. s. 3. p. 151. (\*) *Noluit se transferre ad partes Italie ad captivanda & occupanda ibidem bona imperii, quocumque nomine censerentur, territus exem-*

*exemplo Cunradini, Regis in Apulia, ut supra dixi, cum sua militia decolati, ne more ipsius contingeret, cum perire & periclitari, Volens potius Regno Alemantia in tranquilla possessione potiri & contentari, quam alias se exponere discrimini & perditioni.* JO. VITODVRAN. p. 1748. (c) verba sunt MAJOLI; EPISCOPI VULTURARIENSIS, in Dier. Canicular. Tom. VI. Colloq. i. fol. 215. edit. Mogunt. A. 1614. (d) relata ab AVENTIN. Annal. lib. 8. & MAJOL. l. c. fol. 214. seq. (e) uti ostendit Celeb. MASCOV. in disp. de Regali Imperialique Augustorum Germaniæ Augustarumque coronatione, Lips. 1723. s. 3. conf. JOANNES EPISCOPVS ROFFENSIS, de Potestate Papæ in rebus temporalibus, Londin. 1614. qui idem defendit Lib. H. Cap. 47. p. 1115. seq. it. ARVM. Discurs. II. ad A. B. s. 20. 21. RVMELIN. Dissert. III. ad A. B. s. 15. (f) MASCOV. l. c. s. 10.

§. X.

Romam itaque non vidit Rudolphus, neque coronam ibidem a Pontifice accepit. (\*) Confirmationem tamen, sicut mos illorum temporum fuit, a Gregorio X. qui concilium magnum habuit Lugduni A. 1274. obtinuit. (g)

(\*) Regnavit Rudolphus sine benedictione Imperiali & coronatione, quod tamen est multum mirabile, quia Romanis Pontificibus sui temporis fuit multum familiaris. Ita MARTIN. FVLDENS. apud ECCARD. Corp. Hist. med. ævi, Tom. I. p. 1714. (g) SIFFRID. l. c. MARTIN. POLON. continuat. l. c. p. 1426. & alii.

§. XI.

Et cum anno insequenti 1275. Gregorius Losannam profectus esset, Rudolphus cum Regina, uxore sua, filiisque & filiabus suis quoque eo venit, iuramentum solitum Papæ fecit, (\*\*\*) & Romanolam cum Exarchatu Ravennæ ecclesiæ Romanæ restituit. (h) Convenerat quoque ibidem inter Imperatorem & Pontificem, ut ille Romam, ad festum Pentecostes, cum duobus millibus militum veniret, coronamque Imperialem peteret, (\*) & iter in Palæstinam susciperet. Papa quoque rogabat & svadebat, ut Rex filiam suam filio Caroli, qui vocabatur Martellus, Regis Sicilia, matrimonio sociaret, cui Rudolphus conjugii pacta firmavit. (\*\*) At Rudolphus ex Imperatorum, qui ante eum fuerant, rebus gestis didicerat, quantum impedimenti expeditiones illæ

illæ & Romanæ, & sanctæ seu cruciatæ, (i) uti vocabantur, regni negotiis, quantaque pericula & damna reipublicæ intulerint, adeoque neque sibi & familiæ suæ, neque Imperio proficiuas esse putabat, ideoque eas nunquam aggressus est, sed satis habebat, si domi rebus suis consuleret, & pro emolumento Imperii curas suas impenderet. (†) Satius quippe est, si princeps domesticos civitatis suæ morbos curet, quam si aut illos plane negligat, aut tamen non eo, quo par est, studio ad illos sanandos invigilet, cum interim, quæ extra rempublicam sunt, eandemque non æque affligunt, curare velit. Hæc sane reipublicæ restauratorem minime decent.

(\*\*\*) Conf. MARTIN. EVLDENS. l. c. p. 1714. ALMER. AVGER. de B-TERRIS Hist. Pontif. apud ECCARD. Corp. Hist. Tom. II. p. 1785. (h) verba sunt CHRON. BELG. p. 252. & 260. quæ adducit SCHILTER. de Libertate Ecclesiar. German. Lib. V. cap. 10. §. 6. p. 730. (\*) ANNAL. COLMAR. ad A. 1275. (\*\*) MARTIN. POLON. continuat. l. c. (i) de quibus vid. BVDDEI Select. J. N. & G. imprimis p. 137. seq. (†) conf. SCHVRTZFLEISCH. de Vitricis Eccles. in Opp. Hist. Polit. p. 810. 932.

§. XII.

Alia omnia in Rudolphoprehendimus. Hic postquam imperium adeptus erat, omni studio in id incumbabat, ut illud restauraret, & jura Imperatoris nunc restitueret, nunc retineret. Hinc primo statim regni sui anno, 1273. jus primariarum precum renovavit atque exercuit. (k) CONRADUS quidem OLIGENIVS (l) existimat, Rudolphum a Gregorio X. Pontifice indultum super istis precibus impetrasse, sed quam gravissime in eo erraverit, ostendit GRIBNERUS. (m) Ipse enim Rudolphus nullam hujus mentionem injicit indultus, sed ex antiqua & approbata, ac a Divis Imperatoribus & Regibus ad se producta consuetudine jus suum deducit. Neque eam consuetudinem antiquam a Rudolpho fictam esse, probabile est. Constat enim, alias Sedi Romane cum satis fuisse addictum. (n) cum esset ecclesiæ Romane optimus Zelotes, uti eum vocat BERGOMENSIS.

SIS.



SIS. (O) Hoc itaque jus Caesareum nisi solis Papalibus concessio-  
 bus, neutiquam est admittendum, sed potius ex jure Imperato-  
 rum Majestatici deducendum, velut vestigium & documentum pri-  
 stini juris Caesari circa sacra olim competentis, per Henricum V.  
 Imperator. maximam partem amissi, cujus rudera quasi residua  
 sunt in his precibus. (p) Unde etiam Rudolphus rogat, ut  
 Abbas, ad quem literas dedit, preces suas primarias ad-  
 mittat ob reverentiam sacri imperii. Laudandum itaque Im-  
 peratoris nostri studium hoc etiam ex capite, quod reli-  
 quas illas juris Majestatici circa sacra non dissipaverit,  
 sed publice & legitime custodiverit, ut Successores in ejus  
 exemplo haberent, unde illud jus suum defendere que-  
 ant.

(k) ejus literas exhibet LEHMAN. l. c. fol. 552. & BOEHMER. J. E. Lib.  
 III. Tit. 5. §. 101. ex GOLDAST. Tom. III. Constit. Imper. fol. 406.  
 (l) sub cujus nomine latere doctissimum Italum, FONTANINVM, do-  
 cent nos Unschuld. Nachricht. 1708. p. 864. (m) in peculiari disp. de  
 precibus primariis imperialibus sine Pontificis indultu validis, vid. ejus  
 Opuscul. Jur. Publ. Tom. IV. Sect. 1. Controversiam, quae hac de re in-  
 ter Josephum Imperatorem, gloriosissimae memoriae & Clementem XI.  
 P. R. agitata fuit, excutit BOEHMER. l. c. §. 112. (n) vid. GRIENER.  
 l. c. §. 7. (o) in Supplement. Chron. fol. 318. b. (p) BYCKISCH. de Ju-  
 re Papali Princip. Protestant. cap. IV. §. 3. SCHILTER, l. c. Lib. VI. cap.  
 5. §. 11. & alii.

§. XIII.

Hactenus quidem principes nonnulli, & imprimis  
 Ottocarus, Rex Bohemiae, multas provincias, quae ad im-  
 perium pertinebant, privata potestate occupaverant, &  
 adhuc detinebant. Illae ut restituerentur, e dignitate &  
 majestate imperii, ut & ad sua commoda, necessarium  
 esse statuebat Rudolphus. Hinc anno ab electione pro-  
 ximo, 1274. comitia indixit, convocatis principibus Fran-  
 cofordiam, (†) & eodem anno, Norimbergam, ut omnes  
 imperio subiecti, ad exhibendum novo Caesari officium debitum &  
 obsequium, convenirent. (q) Sed Ottocarus & Henricus,  
 Dux Bavariae venire contempserunt. Marchio quoque Ba-  
 den-

C

den-

denſis & Württembergeniſis, cum pluribus aliis, autoritatem novi Imperatoris detractarunt. ( r ) Iſtis in comitiis agebatur de imperio in priſtinam integritatem reſtituendo, de conventu procerum, intra tres meſes, Herbiſpoli habendo, ad quem etiam Ottocarus & Henricus vocati ſunt. (\*) In hoc autem deliberationes habebantur, de latrociniis, in Germania admodum frequentibus, tollendis, & principibus refractariis coercendis. ( s ) Ottocarus & Henricus cum primis omnibus ſuis feudis & iuribus, quæ ab imperio dependebant, communi omnium ſententia ſunt privati. (\*\*)

(†) STERO ad A. 1274. (q) DVBRAY. I. c. (r) PEVCER. p. 1037. HAGEC. Böh̄m. Chron. fol. 450. (\*) MARTIN. POLON. continuat. apud ECCARD. Corp. Hiſtor. med. ævi, Tom. I. p. 1425. AVENTIN. Annal. Lib. VII. (s) STRUV. Einleitung zur Reichs-Hiſtor. p. 553. ſeq. (\*\*\*) MARTIN. POLON. I. c. p. 1426.

§. XIV.

Sed quum in tribus illis comitiis nihil adhuc effici poſſet, & Ottocarus atque Henricus non comparerent, anno ſequenti 1275. alia rursus habita ſunt Auguſta Vin- delicorum, ad quæ Ottocarus & Henricus, cum ſub pœna banni imperialis vocati eſſent, nuntios ſuos miſerunt. Auſtriæ & provinciarum vicinarum legati in iſtis ſua contra Ottocarum exponebant gravamina, quod hic nempe Auſtriacas & alias provincias iniuſte ſibi vindicaverit, uxorem veneno necaverit, ea adhuc viva, aliam duxerit, & multos procerum ſuſtulerit. Contra hos Ottocari nuntius, Bernhardus Epiſcopus Seſtonenſis, Rudolphi electionem impugnabat, allegans, quod eccleſias quasdam ſpoliaverit, ideoque a Papa excommunicatus, ad imperium minime idoneus eſſet, multaſque adhuc latinis verbis ad principes eccleſiaſticos proferebat, unde Imperator indignabundus eum alloquebatur: quod ſi cum epiſcopis & monachis verba faceret, latina lingua uteretur, quando vero ſecum & principibus ſæcularibus agere vel-  
let,

let, talem adhiberet lingvam, quam ipsi intelligerent, & in qua respondere possent. Cum vero plura adhuc eloqui vellet, neque ab invehendo in Imperatorem desisteret, nemo illum audire amplius cupiebat, imo Palatinus minas in ipsum projiciebat, & parum aberat, quin manus eidem inferrent, nisi Imperator obstitisset. Henrici tamen Bavari nuntius, Henricus Præpositus Oettingensis, principis sui absentiam excusans, modestius sese gerebat. (t)

(t) MARTINI POLON. continuat. apud ECCARD. l. c. HAGEC. l. c. fol. 451. AVENTIN. Annal. Lib. VII. vid. omnino STRUV. l. c. p. 554. seq.

§. XV.

Res autem cum Ottocaro sic se habebat. Possederat scilicet usque adhuc Austriam, Styriam, Carinthiam, & alias provincias Imperii. Austriam quidem dotis loco acceperat a Margareta, (u) sorore Friderici, Ducis Austriae, qui sine liberis obiit. Ulricus vero, ultimus Carinthiorum princeps, (x) qui virili sobole carebat, accepta ab Ottocaro pecunia, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Sclavonicam, & portum Naonis tradiderat. Veronenses, exinde Feltrenses, Tarvisini, & multi ex Foro-Julii ultro se ei submiserant. Hungaris bellum indixerat, commissoque pralio, victor ingentem prædam reportaverat, Styriamque provinciam illis ademerat. Sed vivente adhuc legitima uxore, & quæ ei tantum imperium adjecerat, ea repudiata, alteram superduxit, Cunigundam, Regis Masovia, filiam. (y) Ex amplissimis hisce provinciis nemo antea eum episcere conatus erat. Rudolphus vero cum statibus Imperii, in dictis comitiis Augustanis, sententiam conceperant, qua Austriam & Carinthiam, cæterasque vicinas Italiae provincias, tanquam juris Imperii repetebant, (z) quando nec Austria muliebri feudum esset, nec Carinthiam absque consensu Caesaris Ulricus venundare potuisset, (a) Styriam quoque Imperii feudum esse, adeoque eidem restituendum.

C 2

(u)

(u) Conf. GVNDLING. in Geschichten Käyser Richards / p. 164. seqq. (x) de quo differit IDEM, l. c. p. 217. (y) vid. omnino AEN. STLV. Histor. Bohem. Cap. XXVII. p. 50. seq. (z) LEHMAN. Cap. 105. (a) STLV. l. c. p. 51. DVBRAY. l. c. p. 459.

§. XVI.

Missi itaque sunt a Rudolpho & statibus Imperii Fredericus, Burggravius Norimbergensis & Henricus Episcopus Basileensis, qui, provincias illas ut Ottocarus Imperio redderet, poscerent, ipsique significarent, ut Rudolphum Dominum suum agnosceret & in ejus verba, more majorum, juraret. (b) Id vero Ottocarus indignissime accipiens, *vehementissime excanduit, ipsa re, inquit, verum experior, de quo aliquando subdubitavi: insolentius nihil esse, humili cum surgit in altum. Hic Rudolphus, heri videlicet affecla noster, hodie Germanorum Caesar, ut subito per summam insolentiam veteri Domino suo insultat? sed propediem sentiet, uter magis valeat, Dominus an servus. Iratus denique respondet, nihil se Rudolpho debere, nihil etiam velle ei reddere.* (c) Se provincias illas partim dotis loco ab uxore accepisse, partim pecunia sua comparavisse, partim jure belli acquisivisse. (d) Nuntii itaque rebus infectis discesserunt. Qui cum ad comitia Augustana redirent, & Imperatori principibusque ibi congregatis, quæ Ottocarus responderat, recenserent, decretum ibidem fuit, abs Rege Bohemia contumacia poenam petendam, & memoratas provincias vi armorum esse recuperandas. (e)

(b) MARTIN. POLON. continuat. l. c. DVBRAY. l. c. (c) IDEM, l. c. (d) rationes Ottocarii refutat SCHVRTZFLEISCH. in Operib. Histor. Polit. p. 1084. (e) LEHMAN. l. c.

§. XVII.

Hinc bellum Rudolphus adversus Ottocarum paravit, & cum lenitate, qua hucdum adversus contumaces usus fuerat, nihil perficeret, arma sumit, (\*) idque exemplo magnorum Principum, qui non semper tantum sub initium regni sui lenitate & clementia usi sunt, ut iis sub-

fidiis

fidiis animos civium sibi devincirent. *Est enim nihil magis in novo imperio necessarium, quam clementia & æquitas.* (f) Lenitas tamen & clementia ubi non sufficiunt, severitate & justitia opus est. Sic namque debent esse imperia constituta, ut gubernatores omnibus cõmitem respondeant, at in pœnis sumendis gravitatem adhibeant. (g)

(\*) *Benignus fuit erga amicos & domesticos, sed sævisimus contra hostes.* JO. VITODVR. p. 1750. (f) teste BOSIO, ad Nepot. I, 2, 2. (g) RICHTER. Axiomat. Polit. p. 173.

§. XVIII.

Rudolphus tamen ante omnia domesticos hostes, & qui proximi ei erant, frenandos esse ratus, Marchionem Badensem, & huic confœderatos, comites in Svevia, numero quindecim, inter quos primarii erant comites de Montfort, Helffenstein, Wirtemberg, & Tockenpurg, (h) ut & complures nobiles in Alsatia, Franconia & vicinis provinciis, cum multis laboribus dissipatos & confusos coegit, supplices pacem petere: (i) Illi enim possessiones regni violenter occupaverant, ac, post exclusionem quondam Friderici Imperatoris, civitates diversarum regionum subjugaverant, quas restituere, fœdere contra Imperatorem iniro, recusabant. Rudolphus vero eostitulo censuali humiliavit, & devicit, ut ea redderent, quæ injuste ad se traxerant. (k)

(h) SEB. FRANCK. Râysf. Chron. fol. 218, a. (i) PEVCER. l. c. p. 1038.  
(k) LEHMAN. Cap. 104, p. 552.

§. XIX.

Henricus etiam, Dux Bavaria, fœdus cum Ottocaro adversus Imperatorem fecerat, eidemquæ armis se opposuerat. Sed Rudolphus statim ejus impetum fregit, ut cogeretur pacem, cum uxore sua Mathilde, exposcere, quam etiam ita impetravit, ut Imperatoris filia Ottoni nuberet, Henrici filio, (\*) qui terras Austriacas, supra

Anisum, dotis loco acciperet, sed pignoris nexu ipsi obligatas, cum Henricus Imperatori 46000. Ducatorum mutuum daret. (l)

(\*) vid. MARTIN. POLON. continuat. p. 1428. (l) AVENTIN. Annal. Lib. VII. STRUV. l. c. p. 558.

§. XX.

Nunc bello quoque Ottocarum persequi Rudolphus suscepit, A. 1276. Uterque ingentes comparaverat copias. Ex parte Cæsaris erant Archiepiscopus Moguntinus & Coloniensis, Episcopi Herbipolensis, Ratisbonensis, Passaviensis, & Ludovicus comes Palatinus Rheni. (m) His animus erat Hercyniam sylvam occupare, ac se inde per Teplenses agros in Bohemiam interiorem insinuare, ut nempe sedem belli constituerent Ottocari terras. Sed prævertit Rex, omnia in silvas & montes itinera omnimodo impediens, ne facultas fieret introeundi. Ergo Cæsar exercitum in Austriam ultra Danubium traducit, ibique Belsum oppidum, mox ipsum Lincium, & alia præterea loca, sua sponte in partes Cæsaris transeuntia, recipit. (n) Austriam itaque pene omnem in deditionem accepit. Viennam etiam, in qua Ottocarus copias suas Bohemicas, præsidii loco, collocaverat, obsidione cingebat. Et quamvis urbs illa, Austriæ primaria, sese armis defendere tentaret; Rudolphus tamen minabatur, nisi se dederet, fore, ut illius agros & vineas undique vastaret, hinc, exemplo Messallæ, servari, beneficio Cæsaris, maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius, (o) & ejus sese imperio subjecit, ea lege, ut privilegia sua confirmarentur. (p) Formam etiam pacis & ordinationem per terras Austriacas, ejecto inde Ottocaro, Rudolphus promulgavit Viennæ, III. Non. Dec. 1276. (\*) Deinde secundum flumen lente progrediebatur, *aucupans Regis consilia, si qua de trajiciendo exercitu intret.* Quem ut abhorrere a trajectu videt, nec ipse transire flumen festinat. Interim uterque exercitus, cum ultra sex menses ad utramque Danubii ripam positus fuerat, inopia pabuli frum-

mentique premi cœpit, non sine metu futura seditionis. (q)

(m) LEHMAN, l. c. Cap. 105. (n) DVBRAY, l. c. p. 459. (o) VELLEJ. Lib. II. Cap. 71. n. 1. (p) H. STERO, ad A. 1278. MARTIN. POLON. continuat. l. c. p. 1427. STRUV. l. c. p. 558. (\*) Exeat illa apud LEIBNIT. Mantiss. Cod. Jur. Gent. Diplom. Part. II. p. 98. (q) DVBRAY, l. c. HAGEC. l. c. fol. 452.

§. XXI.

Tandem cum duo exercitus ad millia passuum alter alteri proximus convenissent, (r) principes vero ecclesiastici, belli perterriti, Rudolphum ab ulterius Ottocarum persequendo abstraherent: (s) autores pacis reperti sunt, qui utrique parti belli incommoda ostendebant, & ut pace illud mutarent, suadebant. Placuit consilium. Rudolpho quidem, quod ea ratione, citra sanguinis profusionem, & auctoritatem suam obrineri, & familia sua ac Imperio eas provincias, quas Ottocarus detinebat, acquiri atque recuperari posse, speraret; Ottocaro autem, quod Imperatoris vereretur potentiam; (t) utrique, quod illud tempus maxime idoneum esset, de pace agendi, dum sibi uterque consideret, (u) neque alter alterius vires experitus esset. *Videntur enim pares, qui non fecerunt inter se periculum vicium,* (x) & vetus verbum est: *sub clypeo melius succedere pacis negotia.* (y) Unde a Rege Gallia plena potentia ad pacem Monasteriensem procurandam missi, Regi suo hoc consilium suppeditabant: *Sa majesté ne pouvoit prendre une meilleure resolution, ni plus utile pour avoir une bonne paix, que de faire les grands préparatifs, tant par mer, que par terre.* (z)

(r) STLV. l. c. p. 51. (s) LEHMAN, l. c. (t) STLV. l. c. (u) CESAR. de Bell. Civil. Lib. III. Cap. 10. (x) CVRT. Lib. VII. Cap. 8. (y) LIPS. Lib. V. Polit. Cap. 19. §. 12. (z) MEMOIR. DE LA PAIX. de MUNSTER. Tom. I. fol. 2.

§. XXII.

Insula itaque modica, quam Kambergam appellabant,

in Danubio erat, in hanc ut cum iis modo, qui a contiliis essent, Imperator & Rex convenirent, ceteraque interrim multitudo ad ripas Danubii staret, decretum fuit. Eo ubi perventum est, *Rudolphus simulato erga Ottocarum obsequio, prior ei cum salute & complexu occurrit, patremque & patronum ex veteri fortuna consulutat, agitque gratias, quod pacatum, quam hostilem indueret animum, & federe potius, quam ferro periculosissimum utrinque bellum, extinguere maluerit.* (a) Deinde pax inter utrumque, intercedentibus arbitris Episcopis Herbipolensi & Brunone Olomucensi, nec non Ludovico Palatino, atque Marchione Brandenburgico, hisce conditionibus conciliata fuit, ut Ottocarus Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Marchiam, Goritiam, & portum Naonis, redderet, Bohemiam & Moraviam, aliisque, quæ ipse & progenitores sui ab Imperio hactenus tenuerant, tanquam feuda a Rudolpho acciperet, Regi Hungariæ, quod ipsi abstulerit, restitueret, in bello autem utrinque captos, itemque obsides & fidei iutores utriusque partis liberos esse dimittendos. Ad confirmandam insuper novam amicitiam & pacem affinitas inter Imperatorem & Regem contrahebatur, ita, ut Agnes, filia Ottocari, nuberet Casaris filio Rudolpho, & vicissim Wenceslaus, Ottocari filius, octavum annum agens, Juttam, Rudolphi filiam, duceret uxorem. (\*) Ottocarus quidem, dignitatem suam submittere Rudolpho, abnuebat, persuadebant tamen proceres, ut se fidei Imperatoris committeret. (b)

(a) DVBRAY. l. c. p. 460. (\*) Laudum Concordiæ exhibet LEIBNITIVS in *Manusilla Cod. Jur. Gent. Diplom. Part. II. p. 100. seq.*

(b) vid. DVBRAY. l. c. STLV. l. c. LEHMAN. l. c. STRUV. l. c. p. 559.

§. XXIII.

Acceptit itaque Ottocarus, in die Elisabethæ, XIII. Cal. Decemb. 1277. Bohemiam & Moraviam a Rudolpho in feudum, (c) ubi simul ad pedes Imperatoris in genua pro-

ni



procumbens, & ex veteri consuetudine, admotis sacro-  
sanctis, jurejurando se adegit. Historici quamplurimi,  
sed recentiores tamen, rem ita describunt. Convenisse  
inter eos, ut in tentorio imperiali secreto, & paucis co-  
ram arbitris, investitura illa perageretur. Ast Rudolpho  
in eodem tentorio suggestum paratum fuisse, ibique au-  
reum solum eminentiori loco erectum, ipsumque vili  
admodum & grisei coloris veste indutum, Ottocaru-  
rum, qui auro & gemmis ornatus accesserit, expectasse.  
Tentorium vero machinosum ita arte fuisse compo-  
situm, ut laxatis funibus a summo usque deorsum, in qua-  
tuor proficissum partes, decideret, Regemque, ut fuerit in  
alto loco ad Imperatoris genua supplex, videndum exer-  
citibus praberet. Quod cum Bohemi tristes viderint, Re-  
gis sui vecordiam detestatos eos fuisse, Ottocarum vero  
plenum irarum domum rediisse. (d) Tacent tamen ea  
de re scriptores antiquiores fide digni, Stero, Colmarienses,  
Albertus Argentinenfis, alii, unde merito in dubium vo-  
cari posset.

(c) Diploma investituræ extat apud GOLDAST. de Regn. Bohem. in Ap-  
pend. n. XX. (d) vid. DVBRAY. l. c. p. 461. STELV. l. c. p. 51. seq.  
LEHMAN. Cap. 109. p. 559. & alii.

#### §. XXIV.

Rudolphus vero hic etiam exemplum principis, rem-  
publicam restaurantis, nobis sistit, cum non solum egre-  
gias provincias, imperio ablatas, recuperaret: sed Regnum  
etiam Bohemia, quod ab antiquissimis temporibus Ger-  
mania finibus fuit inclusum, eidemque obnoxium, (e)  
non negligeret, sed omnem operam adhiberet, ut illud  
majestatem Imperii, quam usque adhuc Ottocarus con-  
tempserat, iterum agnosceret, eidemque debitam fidem  
& obsequium exhiberet. Quippe constat, quantum di-  
gnitatem, potentiam & utilitatem reipublicæ alicujus au-  
geat, habuisse plures, & cum primis potentes Vasallos,  
qui fidelem, quod muneris ipsorum postulat ratio, in

D

com-

commodis ipsius omnibus promovendis, & damnis aver-  
sands, cum debita reverentia & obedientia, operam præ-  
stent.

(e) uti ostendit CONRING. de Finib. Imper. Cap. XXIX. & HAHN. in  
disp. de Regno Bohemiæ, §. 15. Lips. 1676. SCHÜTZ. Praelection.  
Academ. ad Jus Publ. Lib. I. Tit. 6. pos. 7.

§. XXV.

Interim pax illa Ottocaro admodum videbatur dura,  
atque acerba, quæ uti solet esse infirma: (f) ita etiam  
Rex eam non servavit. Cum primis ubi Regina uxor,  
mulier impotens & imperiosa, multis opprobriis domum  
reversum proscinderet, eumque *cum sua sponte satis fure-  
ret, magis ac magis accenderet.* Dicebat enim, millies mori,  
quam ita ludificandum se hosti præbere, & servum ser-  
vi fieri, eique obedientiam jurare, decentius fuisse. Si  
vir esset, & gladios exertos intueri posset, eam contu-  
meliam ulcisceretur, & terras amissas recuperaret. Rex  
itaque, qui charitate uxoris tenebatur, & irrogatam sibi  
contumeliam aequis ferre non poterat, in apertam ul-  
tionem acrius erupit, ab illis auspiciens, quorum consi-  
lio imperium a se rejecerat, & in verba Imperatoris jura-  
verat. Riczano (\*) itaque magistratum insignem, quem  
gerebat, Wilhelmo arcem Podiebradam, Vartembergo  
Glacensem ademit, quibusdam etiam aula interdixit, ac  
filiam suam, quam filio Rudolphi desponderat, Deo cum  
aliis decem puellis, ut mutuam dirimperet affinitatem,  
consecravit. Postea novum ex Bohemis, Moravis & Po-  
lonis contra Rudolphum conscribit exercitum, bellum  
ipsi indicit, A. 1278. & prope Znoymam castra ponit. In-  
terim arcem cum castello in Austria, quod Drosendor-  
fum appellant, expugnat. (g)

(f) LIPS. Politicor. Lib. V. Cap. XX. §. 27. (\*) Bohemiæ cum fuisse Ca-  
merarium, & præ aliis virum disertum, tradit HAGEC. l. c. p. 448.

(g) vid. DVBRAY. ÆN. STLV. LEHMAN. locis antea allegatis.  
MARTIN. POLON. continuat. l. c. p. 1427. JO. VITODVRAN.  
p. 1753. HAGEC. l. c. fol. 453. seqq.

§. XXVI.

§. XXVI.

De Casare, ubinam se contineret, nihil certi adhuc habebat Ottocarus, eum inexpectatus, superato Danubio, ad oppidum Lavam adesset. Rex statim ipsi obviam procedit. Conveniunt itaque ambo exercitus in campo Austria, qui Marchfeld (h) dicitur, & A. 1278. manus conferunt. Aciem ipsemet Rex disponit, in levi cornu Milotam, adjunctis ei Polonis, locat, ipse Ottocarus in dextro cornu stans, acriter pugnat. (i) Diu Marte dubio depugnatum, quum Bohemi multitudine & robore, Suevi, quibus Rudolphus maxime fidebat, ordine ac arte superiores essent. (k) In Rudolphum potissimum totus erat impetus conversus. Fertur, hunc in pugna de equo corruisse, pedibus caballorum & manibus hostium expositum fuisse, eum vero militem quendam, cui nomen de Ramswag, in alium equum transtulisse, quem Casar postea magnis premiis affecerit. (\*) Dum autem sic pugnabatur, eques citato equo Regi nuntiabat, Milotam de acie sua cedere. Hunc nempe Ottocarus quondam graviter offenderat, cum illius ex fratre neptem vitiaisset, fratremque in carcere sustulisset, (l) sed oblitus offensionis, eum tamen Praefectum Moravia, quem Capitaneum vocant, constituerat. Rudolphus vero qui cum eodem diu aliquando familiariter vixerat, ejus offensionis memoriam refricaverat, premiisque & pollicitationibus eo permoverat, ut ne pugnaret, sed fugae initium faceret. (m)

(h) SIFERID. ad A. 1278. (i) DVBRAY. l. c. p. 463. (k) STLV. l. c. p. 53. (\*) JO. VITODVRAN. Chron. p. 1753. seq. (l) HARTNACC. Hist. Univerf. p. 702. seq. (m) DVBRAY. l. c. p. 462. seq. HAGEC. l. c. fol. 454.

§. XXVII.

Ea ratione Ottocarus a suis relictus, dum fortiter pugnat, inter confortissimas hostium acies occiditur. Ferunt

D 2

runt

runt, duos nobiles ex Styria, quorum frater ab Ottocaro per injuriam extinctus fuisset, eum, toto praelio quæsatum quum, multo labore fessam, certis indicis cognovissent, hastis ad terram affixisse, & in ultionem fraternæ cadis obruncavisse. De ejus morte Rudolphus supra modum turbatus est, nec fratres illos postmodum in conspectum suum admisit, quia commiserat suis, ut ipsum incolamem servarent. Ejus corpus primum Znoymam delatum, multo tempore servatum est insepultum, quia ipse fuerat a domino Papa excommunicationis sententia notatus. Deinde, permittente Rudolpho, Pragam translatum, in cœnobio D. Francisci, ab illo ædificato, magna pompa & Regio honore sepultum est. (n)

(n) DVBRAY. l. c. p. 464. STLV. l. c. p. 54. SIFERID. l. c. HAGEC. l. c. fol. 455.

§. XXVIII.

Cæterum Rudolphus victor Bohemos, fuga incomposita dispersos, usque in Bohemiam persequatur, itinere ubique locorum, quo incedebat, pagis vicisque & colonis infesto, ac præsertim cœnobiis exitioso. (o) magna quoque clades totius regni secuta est, ita, ut per triennium quotidie gens Bohemorum de terra sua, fame compellente & inopia, relictis habitaculis, transmigraret. (p) Rudolphus autem, ut gratias esset Deo, pro auxilio sibi præstito adversus Ottocarum, S. Dominici sœnoribus ac fratribus construxit monasterium Tolnense & fundavit, A. 1278. (q)

(o) DVBRAY. l. c. (p) SIFERID. l. c. (q) BRVSVCHVS de Patavio, Lib. II. n. 52. p. 219. seq.

§. XXIX.

Tandem in conventu Iglaviensi cum Wenceslao, Ottocari filio, pax facta fuit, per quam huic regnum Bohemiæ servabatur, sponsalia autem Wenceslai cum Jutta, Imperatoris filia, ut & Rudolphi filii cum Agnete, Wenceslai

ceslai forore antea iniita, confirmabantur, anno tamen 1286. demum nuptiarum solennia Praga inter Wenceslaum & Juttam peragebantur. (r) De eo quoque inter pacificantes convenerat, quod si Wenceslaus sine prole mascula decederet, Rudolphum in Bohemia succedere debere. Et quia Wenceslaus adhuc minorensis erat, Otto, Marchio Brandenburgicus, ejus tutelam suscepturus, in Bohemiam venit, simulque regno gubernando, quoad puer adoleceret, permittente Imperatore, prepositus est. (s)

(r) DVBRAY. Lib. XVIII. p. 476. RICOBALD. Compilar. Chronol. apud ECCARD. Corp. Hist. Tom. I. p. 1287. HAGEC. J. c. p. 465. (s) DVBRAY. Lib. XVII. p. 465. seq. vid. omnino STRIV. l. c. p. 562.

§. XXX.

Ita denuo Rudolphus jura Germaniæ & Imperatoris contra Ottocari insultus, multis cum periculis & laboribus, defendit & vindicavit. Venit hinc Viennam, ubi multis cum gaudiis & lætitiæ significationibus receptus, aliquandiu permanere decrevit, ut Austriacarum terrarum gubernationem rite constitueret. (\*) Post bellum nempe & victoriam partam reipublicæ gubernatio ut sapienter instituat, principi cum primis incumbit. Idque Rudolphus, exemplo Miltiadis, (t) optime observavit.

(\*) MARTIN. POLON. continuat. p. 1427. (t) de quo vid. NER. in Miltiad. l. 2. 2.

§. XXXI.

Quia vero Henricus, Dux Bavaria, Ottocarum pecunia & copiis adjuverat, Rudolphus nunc contra eum quoque bellum parabat. Sed is Imperatoris sese clementiæ commisit, & cum alii pro eo intercederent, pax inter ipsum etiam & Imperatorem his legibus constituta est, ut Henricus nonnullas supra Anisum positas civitates, quæ pignoris nexu ipsi obligatæ erant, pecunia mu-

tuo data non soluta, reddere, & chirographum, eam ob causam a Rudolpho acceptum, eidem tradere, nec non promittere cogeretur, se, si Bohemi novas res molituri essent, contra eos Rudolpho auxilia praeistitutum. Hic tamen Ottoni, qui Imperatoris filiam habebat in matrimonio, civitates Neuburgum, Scherdingensem, Freystadiensem, cum aliis locis vicinis, tanquam dotem relinquebat. (\*)

(\*) vid. AVENTIN. Lib. VII. STRUV. I. c. p. 563.

§. XXXII.

Denique postea quam Imperator omnes res in Austria, & vicinis provinciis, constituisset, antequam discederet, filium suum Albertum imperii Vicarium Austriae & Styriae dabat. (u) Illud nimirum non suae tantum familiae proficuum erat, sed ei, tanquam principi, qui reipublicae restitutionem intenderet, conveniebat, ut nempe magistratus provinciarum legitimos constitueret.

(u) H. STERO, ad A. 1281.



Was

Als Rudolphs Tapfferkeit / was  
Wiß und Klugheit kan/  
**W** Das zeigt die späte Welt bey seinem  
Namen an/

Indem sie Ihn mit Recht den Ubertwin-  
der (\*) nennet/  
Der nichts als steten Sieg und grüne Lor-  
bern kenneet.

Dies / was die Tapfferkeit bey Helden nun  
vermag/  
Legt die Gelehrsamkeit mit Recht auch an den  
Tag:

Sie crönt mit Ehr und Sieg/ sie prangt mit  
Königs-Cronen/  
Und will ins zehnde Glied mit Ruhm und  
Würde lohnen.

Da

---

(\*) pag. 5. Dissert. wo gemeldet wird, daß Er wegen seiner be-  
ständigen Siege Victoriosus genennet worden.

Act. Th. 1874

X 2374684


Dahero wünsch ich Ihm / Hochwertbge  
 schätzer Freund /  
 Da Seine Wissenschaft ick und so helle scheint /  
 Daß Er RVDOLPHI Glück mit Ruhme  
 mag erreichen /  
 Und stets von diesem Platz als Überwinder  
 weichen.

Dieses setzte dem Herrn Praesidi bey seiner  
 pro loco gehaltenen Disputation als  
 ein naher Freund zu Ehren

Christian Adam Kranichfeldt /  
 Respondens.







G.K.  
387  
38.

DISPUTATIO HISTORICO-POLITICA  
PRIOR  
**RVDOLPHVM I.**  
HABSPVRGICVM  
**IMPERATOREM**  
TANQVAM EXEMPLVM RE-  
STAVRATÆ REIPVBLICÆ,  
DESCRIBENS

QVAM  
IN ACADEMIA HIERANA  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-  
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,  
DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO**  
DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM.  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;  
AMPLISSIMÆ FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ CONSENSV

PRO LOCO  
IN EADEM OBTINENDO  
PVBLICÆ DISQVVSITIONI SVBJICET  
PRÆSES

**M. JVSTVS HENRICVS** *Salemberg/*  
RESPONDENTE

**CHRISTIANO ADAMO** *Kranichfeldt/ Erf*  
L. L. Art. Cult.

DIE XXII. DECEMBR. MDCGXXIV.  
IN AVDITORIO PHILOS. COLLEG. MAJOR. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

